

234

232

238

mortem translatam fuisse rudes credidere, diligentius et curiosius
perambulavi et perspexi, et petram in littore extensam in mare,
quam Venus emergens primo apprehendit, ut dicitur, vidi, et su-
per eam sedi admirans antiquorum fictiones. Sed diceret mihi
aliquis frater maturus: ut quid, frater mi, quaesivisti loca Veneris
visitatis locis sanctis, quae conventio lucis ad Belial? numquid
conscientia tua curiositatis vitio te arguit? Responsio: Non solum,
frater dilecte, in illo conscientiae stimulis pungor, sed in actibus
multo melioribus. Verum tamen spero, hanc curiositatem crimi-
nalem non esse, cum similia gentilium (151 a) loca et monstra
etiam Sancti videndi causa adiisse legantur. Nam in Itinerario
Clementis legitur, et habetur in Speculo hist. L. X. C. 26.,
quod dum S. Petrus in Anchorado esset audivissetque, insulam
ad sex milliaria distantem, in qua columnae vitreae immensae mag-
nitudinis et mirabilis picturae et operis essent, gratia videndi illas
columnas cum discipulis navigavit in insulam columnasque mira-
tus aspexit, simul et discipuli ejus. Legitur etiam in vitis patrum,
quod quidam locus est in interiori deserto, longe ab hominum
habitatione semotus, in quo erat hortus quadratis lapidibus con-
structus et variis arbustulis aromaticis consitus, puteus etiam de-
lectabilis ibi erat, et multum aurum, argentum et lapides pre-
tiosi erant in horto illo reconditi, et multa mira dicebantur de
horto illo. Hunc autem hortum construxerant duo perditissimi
magi Pharaonis, Jannes et Mambres, et sibi in eo sepulturas pa-
raverunt, ut post mortem suam ibi tamquam in paradiso deliciis
fruerentur. Cum autem mortui essent, mox rapti ex Aegypto a
daemonibus in hoc loco ab eis sepulti sunt. Hi duo magi soli
restiterunt Moysi, dum percuteret Aegyptum Dominus per manum
ejus, de quibus Apostolus 2. Timoth. III. loquitur, et Eusebius de
praepar. Evangel. L. IX. C. 3. Audiens autem sanctissimus Ma-
carius eremi cultor devotissimus de loco illo, quomodo esset
inadibilis et mirabilis, concepit desiderium videndi locum, sed quia
viam ignorabat, fascem calamorum secum portabat, et per mille-
nos passus singulos figuit (fixit), quo facilius haec signa videns
remeare posset. Per novem igitur dies itinere confecto locis ap-
propinquavit, cui ferociissimus daemon quiescenti calamos omnes
ex propriis locis collectos ad caput posuit, cumque hortum intra-
ret, CXX daemones sicut corvi de loco prosilientes contra eum

228

243

223

283

183

333

133

Ende

Anfang

